



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XXIV. De his qui se sacris virginibus sociant; & de virginibus non velatis, si  
mœchaverint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

» mittentes , irritam faciunt sponſionem , inter  
 » bigamos computentur. Virgines autem quæ  
 » tanquam ſorores cum viris habitare volunt,  
 » ab eorum conſortio prohibemus.

*De his qui ſe ſacris virginibus ſociant ; & de  
 virginibus non velatis , ſi mœchaverint.*

## CAP. XXIV.

Pœnit. Rhab.  
c. 5.

In decretis Gelafij Papæ cap. xx. de his  
 qui ſe ſacris virginibus ſociant ſcriptum eſt:  
 » Virginibus ſacris temerè ſe quosdam ſociare  
 » cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum  
 » inceſta fœdera ſacrilegæque miſcere : quos  
 » protinus æquum eſt à ſacra communione de-  
 » trudi , & niſi per publicam probatamque pœ-  
 » nitentiam omnino non recipi. At his viaticum  
 » certè de ſeculo tranſeuntibus , ſi tamen pœni-  
 » tuerint , non negetur.

Pœnit. Rhab.  
ibid.

Item in decretis Innocentij Papæ cap. xx.  
 de virginibus non velatis , ſi deviaverint , ſcri-  
 » ptum eſt : Hæ verò quæ necdum ſacro vela-  
 » mine teſtæ , tamen in propoſito virginali ſem-  
 » per ſe ſimulaverunt permanere , licèt velatæ  
 » non ſint , ſi fortè nupſerint , his agenda ali-  
 » quanto tempore pœnitentia eſt : quia ſponſio  
 » earum à Domino tenebatur. Nam ſi inter ho-  
 » mines ſolet bonæ fidei conſtractus nulla ratio-  
 » ne diſſolvi , quanto magis iſta pollicitatio,  
 » quam cum Deo pepigit , quomodo ſolvi ſine  
 » vindicta poterit. Nam ſi Apoſtolus illas quæ à  
 » propoſito viduitatis diſceſſerunt dixerat habe-  
 » re damnationem , quia primam fidem irritam  
 » fecerunt , quanto potiùs virgines quæ prioris



promissionis fidem frangere sunt conatae? "

*De his quæ inter se fornicantur; & de his quæ semen virorum suorum, pro libidine, cibo vel potui miscent.*

CAP. XXV.

De feminis quæ inter se fornicantur in An- Regino lib. 2. c. 363. cyrano Concilio scriptum est: Si mulier cum Ivo parte 9. c. 87. muliere fornicata fuerit, annos tres pœniteat. "

Item: Si mulier more fornicationis ad alteram conjunxerit, tres annos sicut fornicator pœniteat. Sic & illa quæ semen viri sui in cibo miscens, ut inde plus ejus amorem accipiat, pœniteat. Mulier sola, si cum seipsa coitum habeat, tres annos pœniteat. "

*De his qui se gentilibus vel Judæis junxerunt.*

CAP. XXVI.

Item de his quæ se gentilibus vel Judæis junxerunt in Concilio Arelatensi scriptum est: Puellæ fideles, quæ gentilibus junguntur, placuit ut aliquanto tempore à communione separentur. "

Item in Concilio Elibertino cap. LXXVIII. de fidelibus conjugatis, si cum Judæa vel gentili mœchaverint, scriptum: Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa vel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod si alius eum duxerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit dominicæ communioni sociari. "

Regino lib. 2. c. 141.